



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

3. Rationibus probatur nostra conclusio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

SUBSECTIO III.

Rationibus probatur nostra conclusio.

39 **P**rimo sic argumentor; quia ultimum constitutum alicuius essentiae debet esse nostro modo intelligendi omnino unum, & omnino indivisibile: sed intelligere Dei, & scientia ipsius modo nostro concipiendi non est omnino unum, sed plura; neque est omnino indivisibile, sed divisibile cum fundamento ex parte ipsius: ergo intelligere Dei non est ultimum constitutum ipsius: maior est evidens, quia ultimum constitutum alicuius, quatenus est ultima formalitas ipsius, constituit ipsum in esse unum, & distinctum à quolibet alio; sed unum ut unum est indivisum in se; & divisum à quolibet alio: ergo ultimum constitutum metaphysicum constituit rem inesse omnino indivisibile in se ipsa: ergo ipsum constitutum est maxime unum & indivisum; quia nemo dat quod non habet; & quidquid continet constitutum, debet accipere à constitutivo, ac proinde debet contineri in illo, alias si non esset omnino indivisibile, & indivisum, neque ipsum constitutum haberet unitatem, & indivisionem; neque posset sibi in constitutione ipsius, sed potius esset procedendum in infinitum, ut ex terminis ipsis patet.

40 **R**atio autem à priori horum est, quia omne ultimum constitutum, sive à parte post, sive à parte ante est terminus in tali constitutione; sed omnis terminus in ea ratione, qua terminus est, est unum, & indivisibile omnino, ut videre est in ultimis terminis lineæ, qui sunt puncta, & in ultimis terminis motus, qui sunt instantia, & in ultimis terminis temporis, qui sunt instantia, quæ omnia sunt omnino indivisibilia & per se unitatem habentia, quod amplius patet in constitutione metaphysica hominis, ubi ultima constitutiva illius, tanquam termini totius constitutionis sunt à parte ante ut ita loquar, ens, & à parte post, ut ita dicam, differentia individualis, sed ens, & differentia individualis sunt maxime indivisibilia, & irresolubilia in duos conceptus adhuc modo nostro concipiendi, quare ens quoad expressum adæquate est solum ratio conveniendi, & differentia individualis est totaliter ratio differendi quoad explicitum sine ulla convenientia: ergo ultimum constitutum alicuius est omnino indivisibile, & unum sine vlla pluralitate, & divisione.

41 **M**inor prima, & principalis sic demonstratur, quia scientia simplicis intelligentiæ, & scientia visionis, seu libera creaturarum futurarum, & scientia ipsius Dei sunt intellectio, seu intelligere divinum; atqui hæ scientiæ dividuntur inter se in deo modo nostro concipiendi, & non sunt unum, sed plura intelligere: ergo intelligere Dei modo nostro concipiendi non est omnino unum; nec omnino indivisibile, sed potius plura, & omnino divisa.

42 **M**inor illa sic demonstratur; quia inter scientiam simplicis intelligentiæ, & inter scientiam visionis creaturarum, hoc est inter intelligere creaturarum possibilem, & intelligere creaturarum futurarum aut existentium mediat actus liberi voluntatis divinæ; ita ut inter utrumque intelligere interponatur, & intercedat decretum, aut volitio libera voluntatis; quod adeo verum est, ut

si non daretur tale decretum post scientiam simplicis intelligentiæ, & ante scientiam visionis nullo modo daretur scientia visionis, & ratio à priori est, quia scientia visionis non facit suum obiectum sed obiectum à voluntate cognoscit; & ideo non est practica sed pure speculativa. Itaque non posset dari scientia visionis in Deo, nisi daretur creatura iam futura, & constituta in essentiali per decretum liberum Dei, sed ea, inter quæ mediat aliquid diversum ab illis, dividuntur inter se, & separantur. Exemplo manifesto declaratur; si inter manum, & brachium interponatur cultellus, aut gradus, & inter caput, & humeros detur intercapedo loci, sine dubio dividetur caput ab humeris, manus à brachio: ergo scientia simplicis intelligentiæ, & scientia qua cognoscitur Deus à seipso dividitur à scientia visionis creaturarum futurarum, aut existentium, cum inter eas interponatur, & intercedat, non actus intellectus, seu scientia, sed potius actus voluntatis, qui est diversi ordinis respectu scientiæ: sed ea, quæ dividuntur inter se non sunt indivisa: sed divisa non sunt unum, sed plura; ergo scientia Dei, seu intelligere divinum habet pluralitatem, non unitatem.

43 **V**rgetur, & confirmatur amplius; quia volitio Dei non est ultimum constitutum divinæ essentiae formaliter, & metaphysice, quia est intellectio posterior ratione nostra cum fundamento in ipso Deo; atqui scientia libera seu intelligere creaturarum futurarum, & existentium est posterius, non solum intellectio necessaria, sed etiam ipsa volitione libera creaturarum: ergo à fortiori intelligere liberum, seu creaturarum futurarum non potest esse ultimum constitutum divinæ essentiae formaliter, ac metaphysice. Minor est certa; quia terminatio intelligere, seu intellectio creaturarum præsupponit terminationem, non solum scientiæ simplicis intelligentiæ, ad creaturas posibles, sed etiam decreti liberi ad easdem creaturas futura & existentes. Primum, quia cognoscibilitas necessarium prior est ratione cognoscibilitate liberorum. Secundum quia prius est, creaturam esse futuram, quam intelligere Dei respectu illius, & quam scientia visionis libera; ideo enim deus intelligit creaturas futuras, quia ipse sunt futura; atqui prius est decretum liberum Dei, quam futurio creaturarum, ex eo quod decretum liberum est causa futuritionis earundem, & omnis causa est prior suo effectu: ergo de primo ad ultimum decretum liberum Dei est, prius ipsa scientia visionis.

44 **P**roces, verum esse quod Deus non constituitur ultimo per scientiam visionis, aut intelligere creaturarum futurarum; ita P. Herize *disp. 3. de constit. naturæ divinæ; art. 4. cap. 1.*

45 **S**ed contra manifeste; quia ex hac solutione sequitur manifeste intellectioem, aut scientiam constituere divinam essentiam ultimo; quia ultimum constitutum divinæ essentiae debet esse proportionatum, & accommodatum divinæ essentiae: sed divina essentia est infinita simpliciter in genere essentiae, ac proinde est omniessentia: ergo si constituitur per intellectioem, debet per illam constitui, quatenus est infinita simpliciter in esse intellectioem, ac proinde quatenus est omniintellectio; sed sola intellectio divinæ essentiae, aut creaturarum possibilem, quatenus distinguitur ab intellectioem creaturarum futurarum & existentium, non est infinita in omni genere intellectioem, ac proinde non est omniintellectio.

intellectio; quia omniintellectio includit omnem intellectiōem; atqui intellectio necessaria Dei, quatenus distinguitur ab intellectu libera, non includit omnem intellectiōem, cum non includat intellectiōem liberam, quae aliqua intellectio est: ergo sola intellectu necessaria non constituitur ultimo diuina essentia, sed potius si constituenda est per intellectuōem, debet constitui per omnem intellectuōem; sed non potest constitui per omnem intellectuōem, ut supra probauimus, quia talis natura est intellectu diuina, ut sit plures, & non una: ergo ex vi conditionis intellectuōis diuinæ, aut scientiæ perit, ut non constituatur per illam, ac proinde intellectu propter propriam conditionem est incapax constituendi diuinam essentiam.

45 Vergetur, quia intra diuinam essentiam datur omnis gradus essentiae; ita ut non deat extra illam aliquis gradus essentialis; quia habet infinitatem simpliciter in ratione essentiae: sed per vos formalitas intellectuōis est gradus essentialis: ergo omnis formalitas intellectuōis est intra illam essentiam; & si intellectu diuina non est capax ut secundum omnem formalitatem propriam sit intra essentiam, intellectu diuina non erit capax ut sit gradus quidditatus essentiae diuinæ.

46 Præterea, quia Pater æternus in esse talis constituitur per paternitatem in esse Patris infiniti; ita constituitur per illam, ut constituatur per omnem formalitatem Paternitatis, ac per consequens nulla sit formalitas Paternitatis extra Paternitatem per quam constituitur; & idem est de Filio, & de Spiritu sancto quoad filiatiōem, & spirationem passiuam. Item quia Deus in esse iusti constituitur per iustitiam, & in esse misericordis per misericordiam; sicut in esse immensi per immensitatem, intra constitutum Dei in tali genere datur omnis formalitas talis constitutui, & ideo immensitas est omniimmensitas, & iustitia, misericordia, aut bonitas, per quam constituitur in esse boni, &c. non est aliqua ratio bonitatis, sed omni bonitas, neque est aliqua particularis ratio misericordiae & iustitiae, sed omni misericordia, & omni iustitia; unde si iustitia non posset esse omni iustitia, & misericordia omni misericordia, non posset esse infinita simpliciter in omni genere, ac per consequens non posset constituere deum: ergo si per vos Deus constituitur ultimo essentialiter per scientiam, & intellectuōem, illa non debet esse aliqua peculiaris, & determinata sapientia, aut intellectu; sed potius infinita simpliciter in omni genere intellectuōis. Unde si intellectu illa per quam dicitur constitui Deum essentialiter, non est ita infinita simpliciter in omni genere intellectuōis, ut sit omniintellectio, includatque omnem formalitatem intellectuōis, non poterit formalitissime ultimo constituere diuinam essentiam; atqui per vos intellectu, quæ constituit ultimo diuinam essentiam, non est omniintellectio, nec includit omnem formalitatem intellectuōis nostro modo concipiendi; siquidem non includit intellectuōem futurorum, & existentium, hoc est scientiam visionis liberam: ergo intelligere, seu intellectu diuina non est capax constituendi diuinam essentiam ultimo, ac formaliter in esse talis.

SUBSECTIO IV.

*Argumentum principale aduersarij re-
torquetur contra ipsos*

47 Pater Herize, & præcipui aduersarij ideo probant intellectuōem diuinam, constituere ultimo diuinam essentiam, quia diuina intellectu est perfectissimus gradus omnium, qui reperiuntur in Deo, eo quod differentia ultima alicuius debeat esse perfectior omnibus gradibus reperiis in illo; ita Pater Herize tract. 1. disput. 3. de constitut. nature diuinæ, cap. 3. num. 13. s. Denique probat unica ratione.

48 Atqui diuina intellectu, seu gradus intellectu-
nus non est gradus perfectior omni, qui reperitur formaliter in Deo: ergo intellectu diuina non est ultimum essentialia constitutum Dei; consequentia est euidens, suppositis maiori, & minori, de maiori nulla est dubitatio.

49 Minor in qua est tota difficultas, sic demonstratur, quia tunc aliquis gradus non est perfectior omni reperto in aliquo subiecto, quando datur in eodem aliquis gradus perfectior illo; sed gradus essendi à se independentem, & imparticipatē, est perfectior in Deo intellectuōe actuali: ergo intellectu actualis non est perfectior omni gradu existente in Deo. Minor hæc ipsis terminis patet: Tum quia ideo Deus habet infinitatem simpliciter in omni genere entis, habetque omnes perfectiones, etiam intellectuōis in summo gradu, tum puritatis, tum excellentiæ, & eminentiæ; quia est ens à se, imparticipatum, & independentem, itaque omnibus perfectionibus diuinis tribuit gradus essendi à se excellentiam summam, quam habent; quod non facit intellectu diuina, imo ipsa sicut cæteræ accipit à gradu essendi à se in Deo quancunque excellentiam, & perfectionem, quam habet.

50 Item, quia ille gradus qui magis proprius est respectu diuinæ essentiae, & minime est communis creaturis, ac per consequens est ultimum distinctum Dei respectu creaturarum est perfectior omni alio qui reperitur in Deo, & est communis ipsi, & creaturis. Itaque quanto minus communis est tanto perfectior est in Deo, quapropter gradus substantiæ qui reperitur in Deo, est perfectior gradu entis reperto in ipso, quia ens vniuersalius, & communius est; cum conueniat Deo, creatis substantiis, accidentibus, & modis; substantia autem minus communis est, cum solum conueniat substantiis creatis & Deo, & intellectu gradus perfectior est in Deo gradu substantiæ, cum hic vniuersalius, & communior sit; atqui gradus essendi à se omnino independentem ab alio minime est communis Deo, & creaturis; quia soli Deo conuenit, & gradus intellectuōis conuenit Deo, & creaturis: ergo gradus essendi à se perfectior est in Deo gradu intelligendi, quia minus communis est, imo minime communis, sed proprius diuinæ essentiae. Præterea, quia intellectu diuina conuenit etiam cum accidentibus creatis, siquidem conuenit cum intellectuōe angelica, & humana, quæ sunt vera, & propria accidentia à parte rei; intelligere enim creatum sine vlla controuersia rerum accidens reale est.

Ex alio autem capite formalitas essendi à se cum omni independentia ita est propria Dei, ut